



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Talem notitiam viatori à Deo concedi non posse verior opinio fert. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPUTATIO CXXXV.

An viatori concedi possit notitia evidens Trinitatis, quod attinet ad quaestionem, An est.

Qui senserint, hanc notitiam viatori communicari posse, cap. 1.

Talem notitiam viatori à Deo concedi non posse, verior opinio fert, cap. 2.

Ex testimoniis, aut memoria non posse evidentem Trinitatis notitiam colligi, cap. 3.

Ex effectibus non posse haberi evidentiam Trinitatis, c. 4.

CAPVT I.

Qui senserint, hanc notitiam viatori communicari posse.

1. Indubitatum est apud Scholasticos, neminem propria virtute naturali notitiam evidentem Trinitatis, etiam quod spectat ad quaestionem, An est, assequi posse, an vero possit Deus eam in via concedere, variant Doctores. Vocamus autem notitiam evidentem, quod attinet ad quaestionem, An est, quæ non habetur per proprias species & conceptus rei, & idem non ostendit: quid sit Deus. Nam quæ est propria ipsius rei similitudo, sicuti ipsa est, aperte ostendit, quid illa sit. Dari autem posse per species alienas notitiam evidentem Trinitatis, sicut modo Philosophi habent de ipso, Deo, vt vnus est, defendit Henricus quodlibet 8. quæst. 14. vt disput. 131. vidimus, & quodlibet. 12. quæst. 2. Gerson Alphabeth. 13. lit. H. cum ait, posse manere fidem cum euidencia Trinitatis in hac vita, qualis est in ijs, qui contemplationi multum addicti sunt: idem sunt Raymundus, vt in ea disput. retulimus. Accedunt Durandus in 3. distinct. 23. q. 9. nu. 12. Caietan. secunda secundæ quæst. 171. artic. 5. Alphons. à Toledo in 1. qu. prologi artic. 2. concl. 3. Bassolis citatus præcedenti disp. & Nicolaus de Cussa in dialog. de pace fidei, c. 8. & lib. 2. tribrationis Alcorani cap. 5.

Primum argument.

Hæc sententia variè probatur. Primò Durandus sic arguit. Angelis ita facta est reuelatio huius mysterij, vt euidenciam haberent Dei reuelantis; certum enim, & euidens illis fuit, suum intellectum ab aliquo, quam à Deo non posse illustrari, vt illud, aut alia mysteria cognoscerent: inde autem colligere poterunt euidenciam notitiam, huius mysterij hoc modo: Quidquid Deus reuelat est verum: Deus reuelat nobis hoc mysterium; ergo hoc mysterij est verum. Syllogismus euidens est, vtraque præmissarum est Angelo euidens: ergo & conclusio; ac proinde habebit Angelus euidenciam huius mysterij, vt in conclus. colligitur. Huc etiam spectat argumentum Bassolis de damnatis, qui, vt ait Iacobus 2. cap. Credunt & contremiscunt, nam qui se sentiunt à Deo iuste damnatos, quia mysterium Trinitatis non crediderunt, euidenter conuicti sunt, illud esse verum.

Secundum argument.

Secundò alij probant hoc modo: Potest Deus alicui homini paruo tempore claram sui visionem concedere, & deinde illum sub enigmate fidei relinquere, vt quidam de Paulo, & Moysè opinati sunt supra disputat. 55. & 56. in eo autem maneret memoria illius claræ visionis: ergo esset illi euidens, se aliquando vidisse Deum trinum & vnum, atqui ex memoria eius, quod euidenter aliquando nouimus, colligere possumus euiden-

ter illud esse verum; ergo ex memoria visionis Trinitatis colligere possumus, mysterium illud verum esse.

Tertiò probatur; Quia dari potest notitia intuitiua creaturarum, in quacumque autem creatura est relatio quædam ad Deum vnum, & trinum, quia quamuis per se primo terminetur ad Deum vnum nostro modo intelligendi, tamen re ipsa ad Deum trinum, & vnum terminatur, quia tres sunt, qui creant, & idem omnino sunt cum essentia, quæ est principium creandi. Et forsitan hoc putauit esse vestigium Trinitatis in creaturis Nicolaus de Cussa locis citatis, ex quo dixit deduci posse notitiam evidentem Trinitatis. Et allegatis vero Doctoribus Henricis, & Gerson cum Raymundo Lullio alio modo putant hanc notitiam evidentem in via comparari posse; exercitio nempe fidei, & assidua contemplatione, qua Raymundus existimauit se rationes euidentes inuenisse.

Quartò denique colligi potest euidencia Trinitatis ex multis effectibus supernaturalibus, vt ex visione Dei, aut specie intelligibili, ex vniuersa hypostatice, saltem cum tribus personis; hæc enim omnia respiciunt natura sua Trinitatem personarum, & nulla alia via superesse videntur.

CAPVT II.

Talem notitiam viatori à Deo concedi non posse, verior opinio fert.

Multo verior est sententia S. Thomæ in præfati articulo, qui in vniuersum affirmat, non posse talem notitiam evidentem Trinitatis viatori communicari; quod hæc sola ratione à priori potest suaderi. Aut illa cognitio Trinitatis esset per propriam speciem illius, & ita esset intuitiua: aut per alias species creaturarum, & ita solum potest cognosci Deus, vt vnus; quia nullus est creatura, quæ ad Deum, vt trinum referatur, sed omnes ipsam respiciunt, vt vnum eo, quod ab eo, vt vno producuntur, & ad illum sub hac eodem ratione terminantur. Neque enim Deus eo producit, quo est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sed quo vnus est, sapiens, omnipotens, &c. Nostro ergo modo cognoscendi, per alias species si ex creatis effectibus Deus deberet cognosci, quatenus illi creati sunt, solum cognosceretur, vt vnus, sapiens, omnipotens, &c. Quod si ad cognoscendam creaturam intuitiua cognitione, & propria, cum illo expresso ordine ad Deum, necessarium etiam esset ipsum Deum proprio, & intuitiuo conceptu cognoscere; sequeretur quidem, ex hac cognitione creaturarum cognosci mysterium Trinitatis intuitiua etiam visione, hoc est, non posse cognosci creaturam proprio conceptu, nisi etiam cognosceretur Deus in se eodem modo; & tunc quidem videretur, vt trinus, quia re ipsa idem est essentia cum personis; non quia ordo ille nostro modo intelligendi respectu Dei, vt trinum. Quare, si ex illo ordine cognoscimus Deum per alias species, nihil aliud attingere possumus, quam essentiam illius, & quæ omnibus personis communia sunt. Verum quæ omnibus personis communia sunt, euidenter aliqui dicunt, posse quidem Trinitatem euidenter cognosci, quoad quaestionem, An est, per speciem quidem creatam, per quam non prius cognoscitur Deum, nec inquit alicuius creaturæ ipsa Trinitas euidenter cognoscatur. Hoc tamen non potest.

possibile est; aut enim species illa repræsentabit Deum instar alicuius rei creatæ, & sic non poterit trinum, & vnum euidenter ostendere: aut proximum ipsum, vt trinum repræsentabit, & ita erit propria quiditativa, & intuitiua species ipsius Dei. Cæterum hæc sententia confutatione rationum prioris, capite sequenti facilius confirmabitur.

CAPVT III.

Ex testimonio, aut memoria non posse euidentem Trinitatis notitiam colligi.

6. SAliquo modo hæc euidentis cognitio Trinitatis concedi posset, deberet esse vna ex modis citatis in primo capite: ex illis vero non posse colligi euidentem notitiam Trinitatis, nunc facile ostendemus, indeque aduersarij argumenta soluta manebunt. In hoc vero capite de primo & secundo dicemus; in quarto vero capite de alijs duobus. Itaque de testimonio, & memoria illud seprobo. Hæc duo sunt extrinseca principia rei: ergo ex illis non potest euidenter ostendi nostro intellectui connexio prædicati cum subiecto in se, hæc enim est euidentia intrinseca rei, quæ per extrinseca principia non potest haberi. Pro cuius explicatione obseruandum est, duplex esse genus demonstrationis, & vtroque generati euidentiam rei secundum se, & intrinsecam, alterum est, per propriam causam, alterum est per effectus: & hæc etiam reducitur demonstratio per impossibile, cum ex opposito sequitur aliqua contradictio, non in aliquo extrinseco, sed in ijs, quæ ex natura rei connexionem habent. Nam, quod aliqui dicunt esse aliud genus demonstrationis, nempe cum singulare colligitur ex vniuersali hoc modo. *Quæ sunt aequalia vni tertio, sunt aequalia inter se, hæc sunt aequalia vni tertio, ergo sunt aequalia inter se*: aperte falsum est. Licet enim consequentia sit euidentis, tamen non est demonstratio; quoniam in cõclusionem nihil noui colligitur; quod non esset iam in maiori expressum, & eodem modo notum. Qui enim dicit omnem hominem esse animal, hoc ipso dicit, hunc, & illum hominem esse animal, & ita nulla euidentia nouiter gignitur. Superest igitur, vt demonstratio solum fiat vno ex prædictis modis: & per intrinseca principia esse nequeat. At testimonium rei, & memoria illius, quod omnino extrinseca sint rebus testificatis, & memoratis, euidentiam earum in se generare nequeant. Nam quamuis per bonam consequentiam, & syllogismum deduci possit propositio hæc, *Deus est trinus, ex antecedenti euidenti, quia tamen illud est intrinsecum omnino, non gignit assensum euidentem conclusionis*. In bona namque cõsequentia licet necessarium sit, consequens esse verum, quoties antecedens est verum, tamen non necessesse est consequens esse euidentis in se, quoties antecedens est euidentis, nisi cum eo habeat connexionem ex natura rei: etenim si antecedens sit extrinsecum, non manifestat euidenter consequens secundum rationem propriam, & connexionem extremorum in se, sed secundum rationem communem extrinsecam, qua conuenit in principio: vt in his syllogismis, *Deus est omne id, quod ipse dicit se esse, ipse autem dicit se esse trinum, ergo Deus est trinus*. Præterea, si *Deus dicit se esse trinum, ipse est trinus, sed dicit se esse trinum, ergo est trinus*, in quibus, quia maior propositio est principium quoddam extrinse-

cum, nullam habens connexionem cum cõclusionem ex natura rei, tantum ex illo sequitur cõclusio, quatenus sub illa vniuersali continetur, *Omne quod dicitur à Deo, esse, ita est*, siue sit hoc, siue illud; idè solet vocari euidentia in attestante, sicut eam appellauit Caietan. 2. 1. quæst. 5. art. 1. dicere enim, *Deus est omne illud, quod dicit se esse*, perindè est, atque asserere, rem ita esse, seu Deum ita esse, à parte rei, sicut ipse testatur esse, vt res cõsonet testimonio dicentis, & reuelationi: ex hoc autem non ostenditur connexio extremorum inter se secundum propriam ipsorum rationem, sed secundum cõmunem rationem, secundum quam conuenire debet res cum testimonio: quod perinde est ac dicere, Deum esse trinum, & vnum, conuenit cum testimonio, & reuelatione Dei. Atque idè S. Thomas 2. 2. quæst. 5. artic. 2. dicit, posse conuinci aliquem intellectum ex sermone Prophetæ pronuntiantis in sermone Domini aliquid futurum, & adhibentis signum, vt cognoscat manifestè, (ac si dicat euidenter) *Hoc dicit à Deo, quia non nentitur (nempe Prophetæ) licet illud futurum, quod prædicatur, in se euidentis non sit*. Ex quo inquit fidei assensum circa illud manere, intelligit, quatenus deducitur etiam ex illo euidenti principio dicentis, & testificantis. Omnis enim assensus, qui testimonio innititur, fides est, nõ euidentis notitia rei testificatæ. Nam si euidentis mihi esset, Deum dicere aliquid esse futurum, & eum non posse mentiri, non proinde statim res illa futura in se ipsa euidentis fieret, secundum suam propriam rationem, & naturam.

Id vero deinde confirmatur exemplo memorie, ex qua desumptum erat secundum argumentum. Si enim aliquis Mathematicus euidenter recordaretur, se habuisse demonstrationem alicuius propositionis, illam tamen non posset in memoriam reuocare; sciret quidem propositionem illam esse veram, & colligeret, rem quam enuntiat, ita esse à parte rei, atque modo prædicatum conueniret subiecto, nondum euidenter nosset. Est enim memoria extrinsecum principium, ostendens solum rem esse in genere, non autem qualiter hoc illi conueniat secundum peculiarem, & propriam rationem, quod fit, vel à posteriori, vel à priori per intrinseca principia. Verum si quis multum contenderet, hanc esse euidentiam rei in se, sed minus euidentem, quam per intrinseca principia, talem tamen, cum qua possit esse fides, imò ipsa simul sit fides, cum innitatur testimonio; vt proprio medio, non multum ego curarem.

CAPVT IV.

Ex effectibus non posse habere euidentiam Trinitatis.

Superest, vt probemus ex nullo effectu, nec naturali, nec supernaturali deduci posse notitiam euidentem Trinitatis; & ita diluamus duo posteriora argumenta, quæ pro se aduersarij afferbant. Primum igitur, de effectibus naturalibus iam diximus cap. 2. relationem illorum ad Deum, solum posse nobis demonstrare Deum, vt vnum. Deinde de effectibus supernaturalibus eodem modo dicendum est, non posse Trinitatis mysterium ex illis euidenter cognosci; sunt effectus supernaturales res, qui aliquam habent difficultatem. Primum est visio clara Dei, secundus species impressa illius, tertius est vnio hypostatice cum tribus

8. Omnis assensus testimonio innititur fides est.

Memoria non gignit euidentiam rei in se.

9.